



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Die XX. Octobris. In Festo S. Joannis Cantii Confessoris

Paderbornae, 1770

Lectio V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62860)

Lectio V.

Quidquid temporis ab studio supererat, partim salutis proximorum, sacris præsertim concionibus, curandæ, partim orationi dabat, in quâ cœlestibus quandoque visionibus, & colloquiis dignatus fertur. Christi verò passione sic afficiebatur, ut in eâ contemplandâ totas interdum noctes duceret insomnes, ejusque causâ meliùs recolendæ Hierosolymam peregrinatus sit: ubi & Martyrii desiderio flagrans, Turcis ipsis Christum Crucifixum prædicare non dubitavit. Quater etiam ad Apostolorum limina pedes, atque viariâ onustus sarcinâ Romam venit, tum ut Sedem Apostolicam, cui maximè addictus fuit, honoraret: tum ut sui (sic enim agebat) Purgatorii pœnas exposita illic quotidie peccatorum venia redimeret. Quo in itinere à latronibus olim spoliatus, & num quid haberet præterea interrogatus, cum negasset, aureos deinde aliquot suo insutos pallio recordatus, fugientibus hos etiam clamans obtulit latronibus, qui Viri sancti candorem simul, & largitatem admirati, etiam ablatos ultrò reddidere. Alienæ famæ ne quis detraheret, descriptis Beati Augustini exemplo in pariete versiculis, se, atque alios perpetuò voluit ad-

admonitos. Famelicos de suo, etiam ob-
fonio satiabat. Nudos autem non emptis
modo, sed detractis quoque sibi vestibus,
& calceis operiebat, demisso ipse interim
usque ad terram pallio, ne domum nudi-
pes redire videretur. R. Amavit.

Lectio VI.

Brevis illi somnus, atque humi; vestis,
quæ nuditatem, cibus, qui mortem
dumtaxat arceret; virginalem pudicitiam,
velut lilium inter spinas, aspero cilicio,
flagellis, atque jejuniis custodivit. Quin
& per annos ante obitum tringinta circiter
& quinque ab esu carniū perpetuò ab-
stinuit. Tandem dierum juxta, ac meri-
torum plenus, cum vicinæ, quam præ-
sensit, morti se diu, diligenterque præ-
parasset, ne qua re amplius teneretur, si
quid domi supererat, id omninò pauperi-
bus distribuit. Tum Ecclesiæ Sacramen-
tis ritè munitus, dissolvi jam cupiens, &
esse cum Christo pridie Nativitatis ejus in
cælum evolavit miraculis ante, & post
mortem clarus. Mortuus ad proximam
Academiæ Ecclesiam Sanctæ Annæ dela-
tus est, ibique honorificè sepultus. Au-
ctaque in dies Populi veneratione ac fre-
quentiâ inter primarios Poloniæ, ac Ly-
thuanix Patronos religiosissimè colitur.
No.